



Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. V. An allegantes privilegium exemptionis à jurisdictione ordinarii possint
Episcopi sive ordinarii jurisdictionem exercere, donec privilegium
exhibitum, & probatum fuerit?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

§. IV.

An & quando exempti à jurisdictione Episcopi possint coram eodem conveniri & ab illo puniri, non obstante privilegio exemptionis?

DE jure quidem antiquo statutum est in cap. 1. volentes h. t. in 6. ut exempti, quamvis suà à jurisdictione ordinariorum gaudeant libertate, conveniri tamen coram ordinariis possint ratione delicti, vel contractus, aut rei, de qualis illis movetur, si nimirum delictum commissum sit, aut contractus factus in loco non exempto, aut res litigiosa non sit exempta, aut sita sit in loco non exempto, cum in tali casu non absolutè exempti hi tales videantur, ad cavendum nimium præjudicium ordinariorum, sed tantum in ordine ad certum locum, aut rem &c. quia tamen hodie plerique regulares, quos potissimum exemptionis hæc materia concernit, specialibus privilegiis à Pontificibus muniti sunt, ut neque in allatis casibus sint coram ordinariis conveniendi: multi autem alii casus ab *Auth. Method. L. 1. Decret. tit. 31. sect. 3 §. 10.* enumerantur, in quibus ordinarij, ut Apostolicæ Sedis delegati, post Tridentinum in exemptos habeant etiam jurisdictionem, ut ad eò rectius circa hanc materiam, quæ fusionis disputationis est, ad *Auth. Method. vel Erasmus Koch. Roderiques: aut Barbof.* quos relato titulo jam citavi, lectorem, si his opus habeat, remittam.

☉ 30 ☉

§. V.

An allegantes privilegium exemptionis à jurisdictione ordinarii, possint Episcopi sive ordinarii jurisdictionem exercere, donec privilegium exhibitum, & probatum fuerit?

Respond. alleganti privilegium exemptionis non credi, nisi illud probet cap. cum persona 7. h. t. 6. & hinc non tantum procedere contra hos possunt ordinarii, non probatis his privilegiis, sed etiam ad exhibenda, & ostendenda hæc sua privilegia cogi possunt, qui exemptionis privilegium prætendunt (cum privilegia sint quid facti, & consequenter non præsumantur, sed probati debeant.) nisi notorium esset tale privilegium exemptionis quoad titulum, & possessionem, aut in jure communi fundatum, prout privilegium exemptionis fundatum habent religiosi mendicantes, qui ab inferioribus iudicibus ad exhibendum privilegium inutiliter citantur, & comparere non tenentur: & quamvis aliàs reus non teneatur edere instrumenta, seu documenta contra seipsum cap. 1. de probat: privilegiatus tamen, sive exemptus, sive agat sive excipiat, debet probare privilegium, quod allegat, quia præsumptio est contra ipsum, cum ordinarij jurisdicção sit de jure communi fundata, nisi authenticè probet aliud.

§. VI.

An Ecclesia obtinens duplex privilegium exemptionis, Episcopi v. g. & Papa, utroque uti possit?

Quòd possit Ecclesia uti duplici privilegio exemptionis, si duplex habeat

Kkk kk ;